

partes integras, sed partes partium; tunc si partes quælibet sint subdivisa in partes s, atq; adeo totum latus in partes 60; indaganda est proportio inter 60 & partes sexagesimas abscissas: sicut enim se habent partes abscissa ad 60, aut viciſſim 60 ad partes abscissas; ita se habet umbra ab altitudine projecta, & distantia à basi altitudinis, ad ipsam altitudinem, aut viciſſim altitudo ad umbram, & distantiam. Proportio autem reperitur facillimè per Regulam Trium ex tribus cognitis, nempe ex numero partium abscissarum, ex lateretoto 60 partium, & ex numero pedum umbrae aut distantie.

V. Utroque modo potest quis domi manens scire altitudinem, etiamsi illam non videat. Si enim lucente Sole aut Lunâ mittat famulum cum Quadrato pendulo, jubeatq; in primo modo mensurare in pedibus umbram projectam, notareq; partes ex altero latere abscissas à filo perpendiculari, dum per utramq; dioptram radiat Sol aut Luna; aut si quocunq; tempore jubeat eundem, cum Quadrante eodem, ex loco quovis distante ab altitudine, dirigere radium visualem per dioptras, donec conspiciat fastigium altitudinis, notareque & latus Quadrantis, quod intersecat filum perpendiculari, & partes, quas ex latere absindit, simulque numerare pedes, palmos &c. inter locum stationis sua & basin altitudinis interjectos: inspectâ anteriore aut posteriore facie Tabellæ primæ, statim sciet proportionem inter umbram & altitudinem, interque distantiam ab altitudine & ipsam altitudinem, juxta dicta in præcedentibus.

#### PROPOSITIO IV.

*Metiri altitudines perpendiculariter erectas accessibiles, sine calculo Arithmeticō, ope Quadrati stabilis, & Tabellæ primæ Geometricæ, tam sine, quam cum umbra ab altitudine projecta.*

*S*It mensuranda altitudo FG, ope Quadrati stabilis. Poteſt id fieri vel Sola aut Lunâ lucente, altitudineque umbram projectante: vel quovis alio tempore.

*Primus Modus, interveniente umbrâ.*

*Quando altitudo FG projicit umbram suam vel usque in H, vel*

Metiri alti-  
tudines ver-  
ticales sine  
calculo A-  
rithmetico,  
ope Tabellæ  
primæ Geo-  
metricæ.